



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

III. An genus essentialiter requirat plures species.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

neque confusè dicitur caput, in quo sensu potest dici genus, & quicumque partem metaphysicam de specie ut totum consulum prædicari, quod non opponitur cum hoc, quod est prædicari ut partem, quia rectè potest idem prædicatum dici pars secundum rationem in illo destinatè significatam præcisè sumptam, & dici totum secundum rationes in illo distinctè, & confusè significatas.

PUNCTUM III.

An genus essentialiter requirat plures species.

Fert communis sententia genus requirere essentialiter plures species, sine quibus non potest subsistere, quia ex eo ab specie differt, quod genus prædicatur, seu fit prædicabile de pluribus speciebus, & species de pluribus individuis. Oppositam sententiam amplectuntur recentiores non pauci, quam sic probant. Ex eo quod prædicatum animalis esset prædicabile de pluribus individuis esset vniuersale, quia vniuersale tantum requirit plura inferiora, insuper distingueretur ab homine, quia homo prædicatur de Petro, & Ioanne tanquam tota essentia, & animal ut pars materialis essentia: ergo casu, quo tantum essent humana individua, homo, & animal essent vniuersalia, & prædicabilia respectu illorum, homo ut tota essentia, & animal ut pars materialis essentia: ergo different hæc duo prædicabilia, eadem ratione, quâ modò differunt: ergo homo esset species, & animal esset genus, quod constituitur ex eo præcisè quod prædicatur de pluribus per modum partis materialis, & non per hoc quod est prædicari de pluribus numero, vel specie differentibus. Confirmatur: genus subalternum & supremum prædicantur de pluribus differentibus genere, & genus infimum tantum prædicatur de pluribus differentibus specie, & nihilominus non constituunt distincta prædicabilia, neque diuersum modum prædicandi habere dicuntur, quia tam supremum genus, quam subalternum, & infimum prædicantur ut partes materiales: ergo non ex eo quod prædicetur genus de pluribus differentibus specie, & species de pluribus differentibus numero differunt inter se hæc prædicabilia, sed ex eo quod genus prædicatur ut pars materialis, & species ut tota essentia: ergo eo ipso quod genus ut pars materialis fit prædicabile de pluribus, quicumque illa sint retinebit rationem generis: ergo animal respectu indiuiduorum eiusdem speciei, de quibus per modum partis materialis prædicatur, poterit esse genus: ergo seclusa quacumque alia specie rationem generis retinebit.

Hoc argumento conuincor asserere animal retenturum rationem generis, eo ipso quod esset prædicabile de pluribus individuis eiusdem speciei per modum partis materialis, etiamsi de aliis non esset prædicabile, sentio tamen implicare prædicatum, quod possit per modum partis materialis prædicari de pluribus individuis vnius speciei, & non de pluribus speciebus, & indiuiduis distinctarum specierum. Et ex hoc capite affirmo genus essentialiter requirere plures species, à quibus abstrahatur ut pars materialis, quia ratio partis materialis non nisi à pluribus speciebus potest abstrahi. Rationem partis materialis non nisi à pluribus speciebus posse abstrahi sic probo. Casu quo tantum cognosceremus animalia naturæ rationalis, v. g. Petrum, Ioannem, & Franciscum, prædicatum animalis non latius pateret, quam prædicatum hominis, sed se haberent ut omnino aequalia, sicuti modò se habent intellectuum, & volituum, in quibus nullum dicimus esse superius altero, quia nullum intellectuum cognoscimus, quod non sit volituum, neque volituum, quod intellectuum non sit: ergo tunc rationale non contraheret animal. Probo consequentiam: illud quod contrahitur debet esse superius illo, ad quod contrahitur, sed animal tunc non esset superius homine, aut rationali: ergo tunc non contraheretur ad hominem per rationale: ergo ex hoc capite animal non se haberet ut materia, neque ut pars materialis respectu hominis. Secundò in illo casu rationale, & sensitiuum æquè paterent: ergo nullum esset caput ex quo posset dici supponi concretum constitutum per sensitiuum, videlicet animal, tanquam partem materialem contrahibilem per rationale: ergo nullum esset caput, ex quo posset dici animal esse partem materialem, cui rationale adiaceret. Rem intueri in differentiis intellectui, & voli-

tiui, quarum neutra dicitur constituere concretum se habens per modum partis materialis, cui tanquam pars formalis altera adiaceat, non enim principium intellectuum substantiuè sumptum se habet tanquam materia, cui adiaceat volituum adiectiuè sumptum, quod ex eo est quod æquè patet vtrique differentia, & inter se nunquam separantur: si enim agnosceremus vnum principium potens intelligere, non potens amare, & alterum potens intelligere, & amare, principium intelligens se haberet tanquam genus, & pars materialis, cui adiaceret differentia volitui.

Sentio in prædicto casu, quo tantum cognosceremus indiuidua humana, à quibus posset abstrahi ratio animalis, tunc differentias sensitiui, & rationalis futuras esse inadæquatas, & vtramque in vnam simplicem, & adæquatam esse confluram, ex vi cuius constitueretur species infima hominis, quæ tunc vltimò constitueretur per principium sentiendi, & ratiocinandi, sicuti modò constituitur principium intelligendi, & amandi, & sicuti modò vno simplici nomine *rationalis* significamus differentias inadæquatas intellectui, & volitui per modum vnius differentie indiuisibiliter constituentis speciem infimam hominis, sic in illo casu ex rationali, & sensitiuo tanquam ex duplici differentia inadæquata coalesceret vna simplex adæquata differentia constituens vnam speciem infimam, cui differentie totali aliud tertium nomen impertiretur, quod per modum vnius adiectiuè significaret principium sensationum, & ratiocinationum. Moueor ad hanc conclusionem, quia nullum aliud est caput, ex quo possumus cognoscere differentias adæquatas, & inadæquatas, nisi ex separatione aut inseparatione operationum, neque rationem aliquam poteris reddere, propter quam principium intelligendi ut distinctum à principio volendi, & principium volendi ut distinctum à principio intelligendi adiectiuè significata, non sint duæ differentie adæquatè constituentes duplicem speciem, & duplicem substantie gradum inter se distinctum, sicuti distinguuntur principium sentiendi, & ratiocinandi, nisi quia intellectiones, & volitiones inter se non separantur, & ita in sententia, quæ asserit posse dari principium intellectuum non volituum, principium potens intelligere superius est principio potente amare, & contrahibile per differentiam volitui, sicuti animal contrahibile est per differentiam rationalis. Eadem ratione principium sensationum externarum, & internarum simplici differentia sensitiui constituentis animal significamus, & non constituimus speciem quandam viuentis potentis elicere sensationes internas & aliam potentis elicere externas, quod fieret si cognosceremus vnum animal, quod tantum posset sensationes externas elicere, & aliud, quod posset elicere externas, & internas, tunc enim potens externè sentire esset genus contrahibile per principium sensationum externarum, sicuti modò animal est contrahibile per principium ratiocinationum: ergo casu, quo non cognosceremus adhuc ut possibilia alia indiuidua sensitiua præter indiuidua humana, numquam apprehenderemus sensationes separabiles à ratiocinationibus, & sic has, & illas operationes simplici differentie tribueremus constituenti speciem infimam hominis, quæ æquè primò constitueretur in ratione speciei infimæ per principium sentiendi, & per principium ratiocinandi, sicuti modò æquè constituitur per principium intelligendi, & volendi.

Ex his inferes tunc prædicatum animalis, quatenus animal dicit principium præcisè potens sentire, fore prædicatum speciei infimæ inadæquatæ, quod distingueretur ab homine, eâ ratione, quâ modò ab eodem homine distinguitur principium præcisè potens intelligere, quia sicuti nunc homo secundum rationem speciei infimæ dicit principium potens intelligere, & potens amare, tunc diceret principium potens intelligere, potens amare, & potens sentire, quorum diceretur vna simplex differentia constitutiva, pro operationibus sentiendi, intelligendi, & amandi, sicuti modò datur rationale pro operationibus intelligendi, & amandi.

Ex his infero ad hoc ut genus prædicetur ut pars materialis adhuc respectu indiuiduorum eiusdem speciei necessariò requirere plures species, quibus sit commune, ac proinde non posse esse prædicatum genericum prædicatum illud, quod pluribus speciebus commune non est, neque posse dari genus sine pluribus speciebus saltem possibilebus. Hæc conclusio communis est inter auctores, quam suadet discursus supra factus, & confirmat authoritas Philosophi

Philosophi 4. Topicor. cap. 3. ubi hæc habet: *Quoniam omnis generis plures species, inspicendum, si non contingit alteram speciem esse dicti generis. Nam non si est, manifestum quoniam non erit genus omnino, quod dictum est.* Quibus verbis docet expressè Philosophus non posse dari genus non respiciens plures species. Accedit discursui supra facto, quod illum rursus explicabit, genus tantum dici partem materialem non physicam, sed per analogiam, & similitudinem: ergo ablata similitudine, quam habet ad materiam, aufertur ab illo tota ratio partis materialis. Huc usque firmus est discursus, pergo ulterius: sed tota similitudo generis cum materia in eo sita est, quod natura generica sit contrahibilis per formas, & quod indifferens sit ad illas: ergo hac similitudine ablata aufertur tota ratio generis. Sed hæc similitudo aufertur ab animali si nunquam separaretur à rationali, quia tunc non contraheretur per rationale, tanquam quid superius, seu indifferens ad hoc ut illi adiungeretur, vel non adiungeretur rationale, illud enim per modum adjacentis alij contemplamur, quod aduenit subiecto indifferenti ad illud: ergo auferretur tota ratio similitudinis, quam habet animal in ordine ad rationale cum materia in ordine ad formam: ergo auferretur tota ratio generis.

6 Sentio insuper genus ex se indifferens ut contrahatur à pluribus speciebus, à quibus abstrahitur, iam semel ab his abstractum, per ordinem ad individua vnius speciei alijs secluis posse considerari ut genus essentialiter, licet non integraliter completum. Ratio est, quia animal abstractum ab homine, & equo prædicatur per modum partis materialis de omnibus individuis omnium specierum: ergo de individuis speciei hominis: ergo in ordine ad individua speciei hominis habet prædicari de pluribus individuis, et si eiusdem speciei per modum partis materialis: ergo habet rationem essentialiter generis, quæ consistit in hoc quod est prædicari de pluribus per modum partis materialis, quomodocumque hæc plura specie inter se differant, ut probabat ratio dubitandi initio Puncti adducta. Genus in ordine ad hæc individua non habere totam suam latitudinem integram certum est, cum genus ex se æquè prædicetur de omnibus individuis omnium specierum, & de omnibus speciebus. Sententia hæc à nobis tradita poterit explicari dicendo genus ratione vniuersalitatis contentum esse pluribus individuis eiusdem speciei, ratione verò materiæ, à qua illius abstractio est faciendæ essentialiter requirere plures species, quia ad hoc ut sit pars materialis respectu plurium individuorum eiusdem speciei, essentialiter requirit esse abstractum ab individuis speciei differentibus, seu à pluribus speciebus.

7 Obiicies: Etiam si tantum individua hominis essent possibilia, homo haberet eandem essentialiam, ac nunc habet: sed nunc non pertinet ad illius differentiam constitutionem prædicatum sensitiui: ergo neque tunc ad eandem differentiam pertineret. Respondeo in utroque casu hominem eadem prædicata essentialia esse habiturum, in utroque enim casu esset essentialiter sensitiuus & rationalis, illius tamen prædicata non habitura eandem vniuersalitatem, quam nunc habent, quia prædicatum animalis, quod modò concipitur commune homini, equo, & leoni, tunc conciperetur proprium hominis, & non communicabile alteri, ex quo fieret tunc dicendum esse prædicatum illud pertinens ad speciem subalternam animalis, quod extrinsecum est homini, & animali secundum se sumptis.

8 Obiicies secundò. Potest dari materia prima physica contrahibilis tantum per vnam formam specificam, seu per formas individuas vnius tantum speciei: ergo potest dari materia metaphysica tantum contrahibilis per individua vnius speciei: Respondeo dato antecedenti negando consequentiam, quia tota ratio materiæ metaphysicæ in materia generica sumitur ex similitudine, quam habet cum materia, quam modò agnoscimus, in hoc, quod est esse indifferens ut contrahatur per plures differentias, si materia est indifferens, ut contrahatur per plures formas, & ita hac ablata similitudine aufertur tota ratio materiæ metaphysicæ, licet non auferatur ratio materiæ physicæ, ex eo, quod auferatur indifferencia ad plures formas, quia potest excogitari alia formalitas, in qua constituitur formalis ratio materiæ physicæ. Quod si intes posse reperiri in prædicato metaphysico aliam similitudinem cum materia physica, ratione cuius possit dici ana-

logicè materia metaphysica ablata indifferencia ad plures differentias specie distinctas, dicam ego hæc rationem materiæ non sufficere ad rationem generis, quia hæc posset reperiri in prædicato potentis intelligere respectu differentie volitui, quod non habere rationem materiæ requisitam ad constituendam naturam genericam apud omnes est inconcussum.

9 Obiicies tertio: Animal abstractum ab individuis vnius tantum speciei prædicatur de illis ut prima pars quidditatis illorum: ergo prædicatur ut materialis: ergo ut genus. Respondeo animal sic abstractum ab his individuis, alijs nunquam cognitis non esse primam partem essentialiter individuum, à quibus abstraheretur, quia tunc principium sensationis, & principium ratiocinationis essent prædicata infima essentialiter constituenta illa individua, sicuti modò principium intellectuum, & principium volitionum sunt prædicata infima essentialiter hominis, quæ simpliciter differentie constituenti speciem infimam tribuunt.

PUNCTUM IV.

Quomodo prædicetur genus de individuis.

1 Duplex est individuum; quoddam completum, aliud incompletum. Individuum completum est illud, quod continet in se totam rationem specificam, & rationes omnes per quas potest contrahi ratio generica, sicuti Petrus, & hic homo, in quibus reperitur vltima differentia speciei infimæ contrahens rationes omnes superiores contracta per vltimam individuaalem differentiam. Individuum incompletum est illud, quod non continet totam essentialitatem speciei, sed tantum aliquod illius prædicatum præcisum ab alio cum quo componit speciem, & immediatè contractum per differentiam individuaalem, sicuti hoc animal, in quo rationale non consideratur, ut hoc rationale, in quo non inspicitur animal, licet enim animal confusè & implicite dicat gradum specificum, videlicet rationale; & hoc rationale eadem confusione inuoluat prædicatum genericum videlicet animal, expressè tamen, & distinctè hoc animal non dicit rationale, neque hoc rationale dicit animal.

2 Scio negari à Thomistis huiusmodi individua incompleta, quia putant animal tantum posse mediâ specie in individua multiplicari, non immediatè in individua diuisum. Ceterum si Thomistæ loquantur de multiplicatione reali, & à parte rei, animal neque mediâ specie, neque mediis individualibus differentibus multiplicatur, quia in his, quæ realiter sunt idem, non potest realiter mediatur, & immediatè reperiri, sed per se ipsum est plura individua per se ipsa multiplicata. Si verò sermo sit, ut oportet esse de multiplicatione per intellectum nullam rationem poterunt Thomistæ reddere, propter quam non possit intellectus diuidere immediatè animal in hoc animal, & illud animal non cognita differentia specificâ, quareve non possit intellectus prædicatum animalis cum sua differentia individuali non præscindere à rationali: Imò vulgari exemplo animalis à longè visi, in quo apprehenditur ratio animalis non apprehensa ratione rationalis, nostram conclusionem suadeo, quia tunc non tantum apprehendo animal ut sic, sed vnum individuum animal, & ex vi illius apprehensionis possum dicere animal visum est vnum numericè, & non possum dicere, est hinnibile, aut est rationale: ergo rectè potest per intellectum contrahi ratio animalis ad hoc numero animal differentia specificâ non apprehensa.

3 Affirmo naturam genericam immediatè prædicari de his individuis completis, non tamen formaliter ut genus, sed ut speciem respectu talis individui incompleti. Priorem partem conclusionis probabo. In hac prædicatione *hoc animal est animal* non mediat ratio specifica inter prædicatum & subiectum, quia hæc non est de conceptu prædicati, neque de conceptu subiecti, in quo tantum includitur ratio generica immediatè contracta per differentias individuales: ergo nihil mediat: ergo est prædicatio immediata. Posteriorè partem haud difficilè probabo: in hac prædicatione, *hoc animal est animal* prædicatum dicit expressè, & distinctè quiddam dicit subiectum seclusâ differentia individuali, ergo prædicatum dicit totam essentialitatem subiecti: ergo